

P V I S

1 6 1 1

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Ecc 50.

*VI.*  
HYMENÆVS  
ALTORPHINÆ  
ACADEMIÆ,

*In Nuptias Magn. V.*

ANDREÆ KNICHEN IC.  
& Cancell. Saxonici,

*E T*

CATHARINÆ VESEM-  
BECIAE, Nobiliss. & Lectiss.  
Virginis.



NORIBERG AE,  
Excudebat Paulus Kaufmann.

M D C.

*F. E.*

2 V E N A M I N I

A C A D E M I A A L-  
T O R P H I N A

Petro VVesenbecio V. C.  
*suo quondam Antecessori  
desideratissimo S.*



Ommoda qui quondam mea procu-  
rare solebas  
Industriâ fideque non vulgariâ,  
Quem mea nunc etiam sors afficit, aspera sive  
Seu lœta nobis temperent Dii tempora:  
Me quoque fas rursum tua tristia fata dolere;  
Tuisque contrâ commodis lœtarier.  
Nunc igitur gnatæ ad tædas quem canto  
hymenæum  
Audi benignis auribus VVesenbeci.  
Sic te donet avi venerando nomine gnatæ,  
Nepotulisque neptibusque te auctitans,

YORI AEGAE  
Exaudiens Paulus Kniphausen

W DC



AD NOBILISSIMUM  
CLARISSIMUM QVE  
VIRVM,

P E T R V M W E-  
S E M B E C I V M , I C . C O N-  
S I L I A R I V M S A X O N I C V M , D I-  
C A S T E R I I C O B V R G E N S I S  
P R A E S I D E M & C.

DE Nuptiis filiae eius CATHARINAE,  
virginis lectiss.

Cum Magn. & Cl. V.

D. ANDREA KNICHEN I C.  
Cancellario Saxonico,

E P O S

SCIPIONIS GENTILIS I C.



Am dotithalamisque vigens Pa-  
schina propinqua  
Virgo erat, & teneros oculis jacie-  
bat amores:

A 2 Impia

## H Y M E N A E V S

*Impia queis corda, atque alpinis cotibus olim  
Asperiora virūm capta, & mollita fuissent.  
Cuius lēta sinu glacialem Terrarigorem  
Poneret, ac verno florum mutaret amictu.  
Ridenti cui mella ilex modo funderet omnis,  
Et Libycæ puro stillarent nectare Syrtes.  
Illa ergo, illa obiit V E S E M B E C I aurea proles!  
Nec potuit dura cor illætabile Parcæ  
Flectere, ut exiguae lucis mortalibus usum  
Præscriptum, viridi saltem concederet ævo!  
Sed quid ego has autem tam festâ in luce querelas  
Ordior? atque tuis, virgo pulcherrima, flammis  
Obduco tenebras raptæ, C A T H A R I N A, sororis?  
Nec tamen hos penitus questus, hæc carmina vobis  
Esse ingrata reor. cœlo vos illa tuetur,  
Quam lugetis enim, stellanti candida ueste,  
Latior, & vestris adcedit sancta choreis.  
Ne tua, ne illius conturbes gaudia lessu.  
Namq; mihi non mens finxit mea, vanâve nuper  
Fama tulit, magni sed epistola lecta Parentis,  
Insolabiliter charam te flere sororem:  
Nec patri, atque piæ luctu concedere matri.  
Sed moderare, precor, lachrimis animique doloris  
Quæque instant, age: purpureis nitidissima frontem  
Cinge rosis, quamvis hyberna in frigora, semper  
Servatis tamen usque tibi. Quem suspicit omnis  
Saxonia, eximio fulgentem juris honore,  
Et nova pandentem doctis miracula chartis,  
K N I C H I V S, in te unam defigit lumina lēta,*

*Unam*

ALTOPHINAE ACADEM.

Unam suspirat, tibi deditus imminet uni.  
Ille tuum contrà decus est, dulcisque triumphus.  
Namque licet veterum superent tibi nomina  
avorum,  
Quos armis vel honore togæ fama inclyta cœlo  
Extulit, & nigras Erebi vetat ire sub umbras;  
Præcipueque Patris laudes, memorandâq; virtus  
Omnibus in terris, te insigni tollat honore,  
Atque alias inter commendet gratia nymphas:  
Hand spernenda tamen Sponsi lux addita tanti  
Est tibi, jamque adeò geminato lumine fulges:  
Iam clari matrona KNICHII diceris, & omnes  
Prestingues stellas ceu fax exorta diei.  
Desine virgineos, blandissima, desine lusus.  
Nec tibi difficile hoc, animi dote aucta sagacis,  
Caniciémque senum flavo meditata capillo.  
O ego si possum vestros, pars infima quamvis,  
Lucentes celebrare choros; sponsoque vetustum  
Nomen amicitiæ, & nostros renovare lepores,  
Quæ studia, & castæ maduerunt seria musæ:  
Palladii cum tecta Nicri coleremus, & illa  
Carminibus docti juga fortunata MELISSI.  
Quis VESEMBECII patris magno ære redemptum  
Vel solum aspectum nolit, cui candida morum  
Nota modò, veréque probi fuit oris imago?  
Quem mihi nunc geminâ, ac diversa pectora cura  
Cernere distractum videor cum conjugè fida:  
Dum gnatam retinere domi, tam dulce senectæ  
Præsidium cupiunt, genero dum tradere gnatam,

A 3

Quam

## H Y M E N A E V S

Quam pepigere boni, thalamis genialibus ardent.  
Alterno qualis fluctu maris unda relabens  
Ludit, & extremam refugit, vel lambit arenam.  
Verum agite, & solum fieri quodcunq<sup>z</sup> necesse est.  
Hoc solum optate, & pactos adstringite nexus.  
T<sup>u</sup>que prior, tu Sponse, tuam jam vindica  
amatam,  
Iusque tibi, sic natura, sic more jubente,  
Dic catus, atque moras omnes incide paventi.  
Pugnatoque, suas prius ut quam Bruma qua-  
drigas  
Axe pruinoso referat nimbosque sonantes,  
Stirpe virili infans tibi subnascatur, & idem  
Donet avi V E S E M B E C I O per amabile nomen.  
Virtutesque tuas numerosa in saecula propaget.  
Hac precor, hec adhibe fortes in premia vires.



E L E-

ALTOKPHINAE ACADEM.



E L E G I A

CVNRADI RITTERSHVSII IC.

**M** Agne VVSEN BECI, nostri decus  
amplaque secl<sup>i</sup>  
Gloria, Iustitiae clare patrocinio,  
Quem for<sup>a</sup>, pensantem districte juris & equi  
Arbitriis sanctis momina, suspiciunt:  
Ergo locare duas, non longo tempore natas,  
Deliciisq<sup>z</sup> tuis te spoliare potes?  
Pignoribus ne orbare domum, & dimittere quibas  
Gaudia, quae soboles tam bona mille parit?  
Æs grave natarum poscunt patrimonia dotes,  
Quas præbere, patris spectat ad officium.  
Sed quid & hic sibi vult præposterus ordo locandi?  
Quando hæc, nascendi conditione prior,  
Posterior reperit sponsum cui nubat; at illa  
Natu posterior, sponsa prior thalamum  
Inreditur PASCHINA, suam anticipatq<sup>z</sup> sororem,  
Subsequitur fausto quam CATHARINA pede:  
Utraque deliciaq<sup>z</sup> ac spes utriusque parentis,  
Et solatiola ac præsidia, atque matæ  
Ætatis fulcrum, donec domus una fovebat  
Ambas. Nunc sed & hæc & datur illa foras.  
Desine mirari, cuicunque hæc attigit aures  
Fama: magis letis dic bona verba viris.

A 4

Hæc

## H Y M E N A E V S

*Hac etiam immotis fiunt connubia fatis :*

*Nil quisquam hic fieri dixerit absque DEO.*

*Illa quidem Æterni est transcripta in fœdera  
Sponsi,*

*Verè magna à quo dote beata viret,*

*Pascha sacrum ad Superos virgo Paschina cele-*

*Et mundana procul gaudia despiciens, (brans,*

*Divinis saturata epulis, decorataque honore,*

*Lingua cui effando haud ulla satisfaciat.*

*Quisquamne in terras ipsam velit inde reverti ?*

*Finge ut quis velit hoc : attamen ipsa neget.*

*Nempe ideo in tenera cœlo est ætate recepta*

*Tàm citò, eam cœli quòd magis arsit amor.*

*Impatiens amor ille moræ fuit, ut solet omnis,*

*Séque rei acceptæ jungere amor properat.*

*Felix quam sponsus cœlestibus excipit ulnis,*

*Æternique fovet fœdere conjugii !*

*Impius at, si quis temerare ea gaudia luctu*

*Intempestivóve, invidiáve velit !*

*Salve labe carens anima, & fruere omne per ævum*

*Sponsi, cuius eras sanguine parta, tuo.*

*Tu quoque delicias ne te amisisse putato,*

*Aut solatiolum, aut præsidium senii,*

*Clare VVesenbecide, quo non ardenter alter*

*Dilexit sobolem, aut instituit melius*

*Arte bona genitor. Quin & tibi multiplicata,*

*Plenâque nunc demum gaudia crede tua.*

*Quam nunc amandas domui matronam alienæ,*

*& patria inque viri præcipis ire manum,*

*Tem-*

AL TORPHIN AE ACADEM.

Tempus erit quando, veluti cum fœnore largo  
Semina, lata arctans horrea, reddit ager,  
Sic tibi de gnata hac neptes dulcésque nepotes  
Provenient, animi gaudia mille pii.

Túque adeò jam nunc matrona adsuesce vocari,  
Quæ, CATHARINA, tuo tempore mater eris:  
Pulcra & KNICHENIVM præstabis prole  
parentem,

Saxonici cuius pendet ab ore Ducis  
Aula, virumq; colit summo, quo est dignus, honore:  
Cuius eris radiis tu quoque clara viri:  
Conservésque genus seros vel ad usque nepotes:  
Factaque anus quamvis, non videaris anus.  
Iustorum & generi solitum benedicere numen,  
In thalamis præsens experiare tuis.

Nunc ad te, unde orsa est, mea tandem Elegiare-  
vertit,  
Clare VV E S E N B E C I, & posse placere tibi,  
Posse placere tuo genero (placuisse probatis  
Laus est vera viris, judicioque gravi)  
Exoptat. Dulcor quod si hic tibi visus amarus,  
Haud aliter constat, scis bene, vita hominum.  
Temperat his vicibus vitam D E V S: Ille paterna  
Pocula defundit dulcia, amara, manu.  
Ille sapit, qui sese ad nutum accommodat eius:  
Et bene oportet huic cedere, quicquid erit.

Altorphii, Epiphania Domini,  
Anno 1600.

A S ODE

# H Y M E N A E V S



## O D E A L C A I C A

MATTHIAE HVBNERI, IC.

**R**gōne Musam, magne V ESEMBCI,  
Hübnerianam durities ea  
Incessit, ut luctu bonōve  
Sola tuo nihil excitetur !

Exempla vatum S C I P I A D A E ac mei  
R I T T E R S H V S I, & permagnus amor meus.  
Quo jure te observo lubēnsque,  
Hoc prohibent sceleris piaclum.

Nam digna quamvis carmina quæ tuo  
Adfectu utroque, quem tibi sors tulit  
Divina, latiſ triste miscens,  
Musa mihi mea nulla dicit;

Tam nempe àpuso reddita ab artibus  
Qua tracto dudum jam gravioribus.

Malo tamen nunc has doloris

Lætitiaq; notas agrestes  
Extare, quām nullas, animi mei,  
Qualis tuo adfectu ingeniatus est,  
Exemplar ut sint qualecunque

Ex animo ingenuo profectum.

Mortemque Paschiae doleo quidem  
Quā sympathiā debeo maximā,

Non quod vices eius dolorem,

Nam mage gaudia summa poscant,  
Dum

AL TORPHINAE ACADEM.

Dum morte vitam perpetuam, & bonis  
Felicitatis maxima & optimæ  
Est adfluentem consecuta,

Nupta suo Emanueli IESV:

Ast quod parentes liquit amabilis  
Ætatis ipso in flore. Sed id fuit  
Par, moribus castam probamque  
Connubio aethereo jugari.

Certè benigna hæc acta DEI optimi,  
Tantummodo qui dimidium sibi  
Paschinulam sumsit, reliquit

Dimidium tibi CATHARINAM.

Illancce acerbam, ast hanc benè nubilem.

Immò locatam tali equidem viro,

Quæstoriæ qui dignitatis

Nominis & propè singularis.

Quæres dolorem abstergere maximè

Vel sola debet. quanta etenim, vides:

Hæc pristinam tandem reducat

Lætitiam, recreetque mentem.

Quod quò magis poscit fieri, mea

Cum ceteris nunc vota, preces meas

Iungo, tibi, Sponsis, tuisque ut

Connubium hoc bene vertat optans.

Concors sit & fœtum sôbole optimâ

Multaque semper, præterea adfluat.

Felicitatis commodis, quæ

Cuncta D E V S tibi largiatur.

I A M-

# H Y M E N A E V S



## I A M B I P V R I MICHAELIS VIRDVNGI P. C.

**Q**VID hoc putem, quid esse suspicer rei?  
Redire quod vocata mi trecenties  
Negat Camœna, lauriger negat D E V S,  
Negat calorque pectori, poëticus?

Labra ecce Musico imbuisse nectare  
Ferebar, atque equina quem excit ungula,  
Eunte limfa pura ubi nitet vitro  
Lacum bibisse: pocla sed modo aridus  
Somniculosæ, opinor, ebibi Stygis.  
Quid ista lentitudo vult Apollinis?  
Quid iste mentis anteà igneæ tepor?  
Querebar ista; præpete ecce se gradus  
Et arcu & igne, penniger tulit puer,  
Mihique ridibundus hæcce reddidit:  
Tuo vacare ne otio aut negotio  
Camœna posset, atque lauriger D E V S,  
Mea ista culpa. namque & ipse segregas  
Olympus en! flet orbus incolas Deos.  
Sed hosce dulce distinet negotium  
Procul sub axe frigido. gelata nam  
Meo perurere igne corda gestiens  
Dum ibi uricorda tela, dum faces paro,  
Inire templa sedulum Dic& tuor

Dic&q<sub>3</sub>

AL TORPHINAE ACADEM.

Dicęq; Palladósque KNICHIVM meum.  
Meum ergo quisque vindicaverit sibi?  
Mihi inquio, iste jam afferendus est manu,  
Meis quoque iste jam volo vacet sacris.  
Satis datum Deabus. Aut ut antea,  
Litare pergit, ipse dum meus fiet.  
Et ecce verba cuspis approbat sequax,  
Acuta cuspis, intimum hauriens jecur.  
Perire cœpit ictus inde, virginis  
Rubris videntis ipse dum excubo genis,  
Ocellulisque vibro VV E S E B E C C I A E.  
( Latere MAGNVS haud eam finit PATER )  
Adest repente Phœbus, & novem Deæ.  
Lyram ille pulsat, hæce concinunt melos:  
Adest Olympi & omne cœlitum decus:  
Adestque Cypris ipsa fulgurans rosis.  
Et ipse perbenignus hasce Iuppiter.  
Tuens secundat usque & usque nuptias.  
Ciere Delium ergo parce, dum interim  
Studetque KNICHIQ; atque VV E S E B E C C I O.



S I N I U S E L E


HYMENAEVS ALTORPH. ACAD.




E L E G I A  
GREGORII PETRI  
BERSMANI.

**S**I C ubi detonuit minitanti murmure  
cælum,  
Emicat evicta nube serena dies.  
Sic quæ brumali torpebat frigore tellus,  
Mox florum omnigeno piæta colore viget.  
Qi modo luctifico percussus vulnere mentem  
Paschinæ flebas tristia fata tua,  
Magne VVesenbeci, quam parcere nescia cuiquam  
Spem mors abstulerat deliciasque tuas:  
Nunc tædas & festa paras Hymeneia latus,  
Dum Catharina subit filia vinclatoris,  
Virginei illa decus cætus, insignéque morum  
Exemplum forme non sine laude pari;  
Quam sibi de multis delegit millibus unam  
Knichius, in thalamos quam velit ire suos,  
Knichius interpres legum, Iurisque sacerdos,  
Præsidiumque ingens, Saxonis aula, tuum.  
Comprecor hæc stabilem tibi servet fixa tenorem  
Læticia, haud ulla diminuenda die,  
Paschinæ ut quantos cepisti morte dolores,  
Huius connubio gaudia tanta feras.  
Atque feres: luctum Deus attenuare dolenti  
Qi valet, à Paschino omnia leta dabit.

FINIS.









Ja 2400

ULB Halle  
003 919 226


3



5b.

WM


me



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



HYMENÆVS  
ALTORPHINÆ  
ACADEMIÆ,

*In Nuptias Magn. V.*

ANDREÆ KNICHEN IC.  
& Cancell. Saxonici,

E T

CATHARINÆ VESEM-  
BE CIAE, Nobiliss. & Lectiss.  
Virginis.



NORIBERG AE,  
Excudebat Paulus Kaufmann.

M D C.

E. [Handwritten mark]